Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35426
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Junius

E·iii·idus Natale beati Barnabe apostoli / qui cum esset cyprius / cum paulo gentium apostolus ordinatus est. Hic post separationem a paulo veniens salaminam predicavit. turbis tunc iudei quassatum et ligatum et misso fune in collo eius traxerunt eum foras porta civitatis / ibi crematus est. Iohannes autem qui et marcus dicitur cum socijs / tulit corpus nocte et sepelierunt / Item eadem die onufrij heremite.

F·ii·idus Mediolani natale sanctorum martirum Basilidis cirini et naboris / qui fuerunt milites preclari / et accusati quod essent christiani / a maximiano imperatore sedecim diebus in carcere missi / sed cibo fuerunt / sed corpus pavit eos. tandem post diversa tormenta decollati.

G· idus· Natale sancti Anthonij confessoris de ordine minorum padue sepultus. Hic hyspanus genere et predicator famosissimus / plures mortuos suscitavit sermone et exemplo multos christo attraxit / tandem in domino quievit.

Rome via ardeatina natale sancte felicule virginis et martiris / que nolens nubere nec ydolis immolare / tradita est [illegible] / qui fecit eam post tenebrosam custodiam et famis inopiam levari in eculeo / et sic deponi / et precipitari in cloaca.

A·xviii·kl· Elizei prophete / qui apud Samariam palestine ut scribit beatus ieronimus situs est / ubi et abdias propheta requiescit / huius stupenda opera liber regum quartus plenius manifestat. Apud cesaream capadocie natale beati basilij episcopi / qui tempore valentis doctrina et sapientia insignis / [illegible] virtutibus fundatus / mirabilis effulsit.

B· xvii·kl· In Sicilia natale sanctorum viti· modesti et crescencie / qui sub dioclesiano imperatore / post olla plumbi fervente / post bestias et catastas· divina virtute superatas / cursum gloriosum certaminis peregerunt =

Anno domini 1 2 [illegible]mo